



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De clericis qui documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur distrahunt.  
clxxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Quod quantum remedium veniæ oblatio ecclesiastica tribuit conferenti, tantum damnum præparat fundatori. Cap. CLXXXII.*

**O**MNIS itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum, vel ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, & iuri suo, aut cathedræ propriæ vnitati cōnectat. Verùm, vt huius rei soliditas potior habeatur, propinquis eius, qui construxerūt, vel ditauerunt Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, vt si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus præuiderint defraudare, aut commonitionis honesta conuentione compescant, aut talia episcopo, aut iudici corrigenda denuncient. Quod si talia Episcopus agere tētat, metropolitano eius hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerit, regis hæc auribus insinuare non differant. Ipsi tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat, quasi iuris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violētiam quacunque præsumere. Si quis hæc monita temerare præsumpserit, & malè rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

*Ex cōcil.  
Toletan.  
cap. 33.*

*De clericis qui documenta, quibus ecclesiæ possessio firmatur, distrabunt. Cap. CLXXXIII.*

**S**I quis verò de clericis documēta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut suppressere, aut negare, aut aduersariis fortasse tradere, damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quicquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatū est, & de propriis facultatibus reddat, & communionem priuetur. Hi autem qui in damnū Ecclesiæ præcepta, & testimonia sanctæ Ecclesiæ impiè sollicitati à traditoribus susceperūt, pari sententia feriantur.

*Ex cōcil.  
Agathē  
cap. 5.*

*De libertis, qui à patrocínio Ecclesiæ discesserunt.*

*Cap. CLXXXIII.*

**L**iberti Ecclesiæ, qui à patrocínio eius discedētes, qui libet personis adhæserunt, si admoniti redire cōtempserint, manumissio eorum irrita sit, quia per obedientiam contemptum ingrati actione tenentur.

*Ex cōcil.  
Toleta. 5.  
ca. 71.*